

nis est, abstergere peccatorum reliquias, et tollere impedimenta introitus in regnum coelorum, ut ait *Laymann* L. 5. t. 8. c. 4.

898. *Princip. V.* Ad recipiendam valide et cum fructu extremam unctionem juxta Rituale Rom. *illud imprimis, ex generali Ecclesiae consuetudine observandum est, ut si tempus, et infirmi conditio permittat, ante extremam unctionem, poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta infirmis praebentur.* In homine justo sufficit voluntas vel actualis, vel virtualis, vel habitualis suscipiendi hoc Sacramentum, quamdiu non est retractata: imo videtur sufficere interpretativa, vel ut vocat *P. Antoine* de extr. unct. q. 5. generalis illa voluntas, qua unusquisque poenitens, et bene dispositus vult frui omnibus remediis ad salutem necessariis, vel utilibus a Christo institutis, ut constat tum ex *Rit. Rom.*, tum ex praxi Ecclesiae conferentis hoc Sacramentum subitaneo morbo oppressis, et sensuum ac rationis usu subito destitutis. Homo vero peccati mortalis sibi conscius praeter voluntatem recipiendi Sacramentum saltem generalem tenetur, si possit, praemittere confessionem, vel si nequeat, dolorem de peccatis, et quidem perfectum juxta illos, qui defendunt, quod extrema unctio ex attrito non faciat contritum. *Suarez* in 3. p. d. 41. sect. 1. n. 19. etsi concedat, hoc Sacramentum posse aliquando facere hominem de attrito contritum, et infundere gratiam primam, nihilominus requirit, ut is, qui conscius est sibi culpae mortalis et non potest confiteri, eliciat contritionem perfectam; quia hoc Sacramentum per se supponit gratiam primam; infert: Est ergo contra institutionem hujus Sacramenti, quod quis sciens, se esse in statu peccati mortalis, illud suscipiat, quantumvis sit attritus. Et infra concludit: Alias tam esset per se institutum hoc Sacramentum in remedium peccati, sicut poenitentia, quod plane falsum est. In sequentibus vero casibus, ait, posse per accidens sufficere solam attritionem: 1. Si vel invincibiliter putetur contritio, quae tantum est attritio. 2. Vel si quis invincibiliter putet, attritionem esse sufficientem dispositionem. 3. Si Sacramentum extremae unctionis detur ei, qui jam est destitutus usu rationis, sed antea compos mentis elicit attritionem, quam non revocavit. Plura vide in Theol. Schol.

§. III. Resolutio Casuum.

CASUS I. De materia remota et proxima extremae Unctionis.

Nathanael Sacerdos inungit moribundum per errorem sacro chrismate loco olei; dum claudit vasculum, advertit errorem, ideoque denuo inungit. Post unctionem oculorum advertit moribundum ita deficere, ut non amplius det signum vitae, hinc omittit reliquias unctiones: paulo post iterum respirat aegrotus.

899. Q. I. An chrisma sit materia valida hujus Sacramenti; item an Nathanael in casu recte egerit iterando unctionem, cognito errore adhibiti chrismatis loco olei infirmorum? R. *Ad primum*; *Suarez* in 3. p. d. 40. sect. 1. n. 10. censet chrisma, licet mixtionem habeat balsami, esse sufficientem materiam, eo quod olim infirmis ungentis adhibitum fuerit, ut probat ex responso *Innocentii I.* ad Decentium, item ex Conc. Wormat. et Aquisgranensi. Nec refert, quod chrisma non sit benedictum benedictione olei infirmorum, quia illa benedictio in Pontificali probabiliter non est de necessitate Sacramenti, sed praecepti. Adde quod Concilia solum benedictionem Episcopalem tanquam necessariam expriment; nihil autem de modo benedictionis determinent. Denique etiam ex eo probatur, quod mixtio balsami tam exigua esse soleat, ut oleum nec physice, nec mora-

liter quoad substantiam mutari censeatur, ideoque de chrismate vere affirmari potest, quod sit oleum ab Episcopo benedictum. Alii vero cum *Palud.*, *Soto*, et *Valentia* tenent contrarium, eo quod sicut hodie, ita et olim semper fuerint distincta unguenta confirmationis et extremae unctionis, quamvis uno eodemque vocabulo chrismatis expressa, ut probant ex Conc. *Meldensi*. Ex his *Laymann* L. 1. c. 2. n. 3. pro praxi deducit: Si ad manum non habeatur oleum infirmorum, non licere Sacerdoti ad extremam unctionem uti chrismate, quia saltem nunc consuetudo Ecclesiae repugnat; in casu tamen urgentis necessitatis id licitum esse concedit *Leonard.* t. 5. de extr. unct. c. 1. §. 4. n. 15., quia concurrente probabili DD. sententia, in casu necessitatis urgentis, materiam vere probabilem adhibere praestat, quam indigentem privare hoc medio salutis. Multo magis in tali casu adhiberi potest oleum benedictum pro infirmis, si mixtum sit balsamo, aut alio liquore in quantitate tam modica, ut communi aestimatione adhuc censeatur esse oleum. *Babenst.* t. 8. p. 6. d. 7. a. 2. n. 3. cum *Palao* et *Salmant.*

Ad secundum respondet *Laym.* l. c.: Si Sacerdos per errorem infirmum unxit sacro chrismate, probabiliter nihil esse repetendum, sed rem Deo commendandam, quia plerumque id fieri nequit sine scandalo. Alii censent saltem tunc esse iterandam unctionem, quando infirmus nec suscepit, nec suscipere potest aliud Sacramentum.

900. Q. II. Quid? si Parochus per annum advertat, non sufficere oleum infirmorum usque ad illud tempus, quo recens benedictum accepturus est? R. Si facile non possit habere ab Episcopo, licebit in minore quantitate affundere oleum olivarum non benedictum, ut tenet communis DD. sententia ex c. *Quod in dubiis*, de consecr. Eccles. ubi expresse habetur: *Non negamus, quin oleum non consecratum consecrato possit oleo commisceri.* Idem habetur in *Rit. Rom.* a *Paulo V.* approbato. Idem declaravit s. Congr. 1682. 23. Septemb.

901. Q. III. An de essentia hujus Sacramenti sint omnes unctiones in Decreto *Eugenii IV.* expressae, et formae prolationes? De hac quaestione *Bened. XIV.* in Tr. de Syn. Dioec. L. 7. c. 18. respondet primo, quod *ultra DD.* omnes fateantur cum *Suar.*, duas postremas unctiones, pedum scilicet et renum necessarias non esse ad validam Sacramenti confectionem, tum quia non sunt in usu apud omnes Ecclesias, tum quia illa renum honestatis et pudoris causa semper omittitur in foeminis. Secundo ibid. ait, quod antiquiores Scholastici cum *S. Bonav.*, *Palud.*, *Soto*, *Bellarm.*, *Valentia*, et aliis plurimis existimarent, caeteras quinque sensuum unctiones pertinere ad substantiam, et integritatem Sacramenti. Tertio refert, quod alii, et quidem recentiores passim cum *Sylvio*, *Nic. Serario*, *Becano*, *Estio*, *Nat. Alex.* etc. censeant, unctiones quinque sensuum necessarias quidem esse de praecepto, sed non de essentia, ideoque validum esse extr. unct. Sacramentum, si vel una tantum inungatur corporis pars, unica prolata forma universali omnes sensus complectente, idque probat ex peculiarium Ecclesiarum Ritualibus. Quarto denique subjungit: *Sed quoniam neque de hac quaestione, quae sane gravissima est, ulla hactenus ab Apostolica Sede prodit sententia, non debet Episcopus in sua Synodo aliquid de illa decernere, sed dumtaxat Parochos monebit, ut cum prudenter timent, aegrotum decessurum, priusquam omnes absolvantur quinque sensuum unctiones, unicum sensum inungant, formam universalem pronuntians... quin imo in praedicto eventu consultius esse, ut caput, a quo omnium sensuum nervi descendunt, sub eadem forma universali inungatur, non immerito advertit Coningck. Ne vero Parochi hac libertate abutantur, expedit ut*

Episcopus simul serio eosdem admoneat, a gravi culpa reatu non excusari, qui extra casum verae necessitatis, vel unam ex quinque sensuum unctionibus praetermittit.

902. Q. IV. Sub qua forma universali inungendus sit moribundus, si urgeat necessitas? R. Si mora patiat, Sacerdos inungendo unum oculum, unam aurem etc. dicat: *Per istas sanctas unctiones etc. indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, auditum, gustum, odoratum, et tactum.* Si periculum adhuc magis urgeat, item in morbis contagiosis, et peste grassante, ut periculum vitetur, sufficit inungi sensus organum magis ad sacram unctionem expositum ac detectum dicendo: *Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, et tactum.* Hanc regulam Benedictus XIV. l. c. refert ex Pastoralis Mechliniensis, ubi et aliam ex Rituali Parisiensi addit: *Si non possit super infirmum fieri, nisi unica unctio, ungetur oculus, vel aliud sensuum organum, et caeteris precibus praetermissis dicatur: Per istam sacri olei unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid peccasti per sensus.*

903. Pro praxi observa sequentia. I. Sacerdos hoc Sacramentum administraturus, ne sacrum chrisma, aut oleum salutis adhibeat, attendat, quae pyxis notata sit littera I., quae denotat oleum Infirmorum. Unctio faciendae est pollice manus dexterae Sacerdotis (tempore pestis fieri posse unctionem mediante instrumento, v. g. virga oblonga oleo tincta, affirmat *Busemb.* cum *Sylv.* et *Dian.*) in modum crucis, incipiendo ab oculo dextero ad sinistrum, item ab aure dextera ad sinistram etc. Si coecus a nativitate, vel carens manibus aut pedibus inungendus sit, unctio nihilominus fiat in parte vicina, quia licet talis peccare non potuerit quoad effectum illo sensu, potuit tamen delinquere quoad affectum. Dixi, in modum crucis debere fieri unctionem, qui modus ad substantiam quidem non pertinet Sacramenti, facile tamen negligi absque culpa saltem veniali non debet. *Laymann.* l. c. cum *S. Thoma*, *Suarez.* et aliis. *Clericatus* de extr. unct. decis. 67. n. 18. illum Sacerdotem non excusat a gravi peccato, qui sine causa omitteret signum crucis in unctione, eo quod tum *Rituale Rom.*, tum alia passim Pastoralia id praescribant. Forma ordinarie non est tota enuntianda, priusquam uterque oculus, vel utraque manus sit inuncta, uti monet *Leonard.*

904. II. Presbyteri infirmi manus inungi debent exterius, quia interius jam inunctae sunt in ordinatione: aliorum vero, qui Presbyteri non sunt, manus inungendae sunt interius, sive in vola.

905. Q. V. An Sacerdos abrumpens unctionem, quia putat, aegrotum sub unctione esse mortuum, dum advertit moribundum denuo dare signa vitae, debeat repetere unctiones jam factas? R. Si mora intermedia fuerit brevis, sine repetitione addat reliquas unctiones, quia sic moraliter adhuc censentur uniri prioribus: si vero longior intercesserit mora, v. g. unius quadrantis horae, repetat jam factas, quia tunc non videntur priores cum posterioribus moraliter uniri. *Rit. Rom.* hanc tradit regulam: *Si dum inungitur infirmus decedat, presbyter ultra non procedat. Si dubitat, an vivat adhuc, unctionem prosequatur sub conditione pronuntiando formam dicens (scil. mente, si vivis) per istam S. Unctionem etc.*

CASUS II. De Ministro Extremae Unctionis.

Nicephorus et Nivardus Sacerdotes aegrotum subito nimis deficientem ita inungunt, ut unus inungat, alter formam proferat. Postea Nicephorus

de valore hujus extr. unct. dubius diu cum Nivardo hac super re disceptat: cui respondet Nivardus, constare ex pluribus antiquis Ritualibus, plures olim in Ecclesia latina adhibitos simul fuisse Sacerdotes in administratione extremae unctionis, ideoque nec de valore hic dubitandum esse.

906. Q. An hoc modo valide fuerit collatum Sacramentum extremae unctionis? R. *Negative.* Praxis continua Ecclesiae satis confirmat, alium non esse sensum verborum s. Jacobi (*orent super eum, ungentes eum etc.*) quam eundem, qui orat proferendo formam, etiam debere inungere.

907. De ministro extr. unct. erudite docet *Bened. XIV.* in laudato opere L. 7. de Synodo c. 19... primo, administrationem solis esse commissam Sacerdotibus atque unum sufficere ex definitione *Alex. III.* in cap. *Quaesivit* de verb. sign. Secundo, neminem ambigere, quamvis unus sufficiat, plures tamen olim in Ecclesia latina adhibitos fuisse Sacerdotes, ac etiam nunc ratum esse, si a pluribus Sacerdotibus simul administraretur extrema unctio, modo singuli diversos inungant infirmi sensus, ac quilibet congruam unctioni formam pronunciet. Tertio, etiam spectata hodiernae Ecclesiae disciplina laudabile esse, ut uni Sacerdoti administranti hoc Sacramentum alii assistant Sacerdotes. In ejusdem Constitutione, quae in Volum. 1. Bullarii est n. 57., ita habetur: *Nec refert, utrum eadem extrema unctio per unum vel plures Presbyteros fiat, ubi ejusmodi viget consuetudo, dummodo credant, et asserant (loquitur de Graecorum consuetudine, apud quos septem vel saltem tres Sacerdotes inungunt) illud Sacramentum, servata debita materia et forma, valide et licite confici ab uno Presbytero. Idem Sacerdos materiam adhibere, formamque pronuntiare respective debet, ac praeterea qui ungit, idem dicat formam respondentem: nec alius unget, et alius formam pronuntiet.* NB. verba illa: *ubi consuetudo viget;* nam ubi ea non est, nec licet a pluribus simul conferri hoc Sacramentum, hoc ipso, quod sit contra ritum communem.

908. *Si dicas,* ex verbis s. Jacobi, *inducat presbyteros,* potius erui, plures Sacerdotes necessario debere simul inungere; R. Est enallage numeri, et hic sensus idem sonat, ac inducat aliquem ex presbyteris; sicut dicimur peccata confiteri presbyteris, id est alicui ex presbyteris. Ita *Tournely* in praelect. theol. tom. 2. de extr. unct. a. 4. q. 3.

909. Sacerdos administrando hoc Sacramentum regulariter debet esse indutus superpelliceo, et stola. Dixi, *regulariter:* quia juxta probabilem *Quintanad.* et *Leand.* non est grave peccatum, dum in necessitate, si ista haberi non possint, administratur hoc Sacramentum sine iis.

910. Juxta *Clericatum* decis. 71. n. 11. communis est sententia, quod parochus ex justitia et sub gravi praecepto teneatur ministrare vel per se, vel per alium idoneum Sacerdotem extremam unctionem subditis suis graviter aegrotantibus, tum quia stipendia parochialia dantur sub hac obligatione ministrandi Sacramenta suis parochianis; tum quia parochus tenetur ex justitia ministrare suis non tantum necessaria Sacramenta, sed etiam illa, quae valde prosunt eorum saluti, et quae sunt instituta a Christo tanquam remedia valde proficua fidelibus, maxime in periculo constitutis, quales sunt periculose decumbentes.

911. Quaestionem, an parochus tempore pestis teneatur cum periculo propriae vitae ministrare suis parochianis Sacramentum extremae unctionis, ita resolvit *Clericatus* decis. 71. n. 20. In hac controversia, quia prima opinio affirmans obligationem absolute cum *Gabr. Sylvio,* et *Nugno* videtur esse nimis rigorosa, secunda autem eam negans cum *Villalobos,* *Tannero* et aliis censetur nimis laxa, ideo media tenenda videtur, scil. si infirmus paulo ante non sit confessus, aut post confessionem verosimiliter

sciat parochus, infirmum esse in statu peccati mortalis, neque posse amplius confiteri, in hoc, ait, casu teneri parochum sub mortali ei ministrare extremam unctionem, etiam cum periculo vitae, quia tunc hoc Sacramentum existimatur necessarium tali infirmo, ut eo mediante, si habeat saltem attritionem de peccatis, consequatur eorum remissionem, vitam spiritualem: secus si paulo ante sit confessus, nec aliunde sciatur, esse in statu peccati. Idem sentit *Suar.* in 3. P. d. 44. sect. 3. n. 15.

912. Quoad Regulares circa administrationem extr. unct. idem modo laudatus *Clericatus* l. c. n. 23. primo asserit, quod Praelati vel Superiores Regulares obligati sint ex justitia suis subditis graviter infirmis dare vel per se, vel per alios Sacerdotes a se deputandos extremam unctionem. Consentit *Lezana* tom. 3. de extr. unct., *Mastrius* et *Tamb.* de Jure Abbatum tom. 2. disp. 7. q. 7. *Ratio* est, quia ejusmodi subditi habent jus petendi ab eis hoc Sacramentum, ne sint peioris conditionis, quam laici. Accedit, quod hi suis Praelatis praestent stipendia obsequii, reverentiae, ac obedientiae, quae sunt altioris conditionis, quam stipendia pecuniarum; ac propterea, si Superiores in hoc deficerent culpabiliter, peccarent mortaliter. Plura apud *P. Gobat* in Theol. exper. tr. 1. n. 137. et seq.

Secundo, Regulares deputati a Superioribus ad hoc Sacramentum ministrandum aegrotantibus in monasterio, possunt illud dare non solum servientibus toti monasterio, sed etiam Praelato, aut religioso in particulari, praesertim si habitent continuo intra septa monasterii, imo etiam si soliti sint pernoctare in propria domo, casu quo corripiuntur lethali morbo in ipso monasterio; idem dicendum de aliis, qui amicitiae, sacrorum exercitiorum, vel cujuscumque negotii causa in monasterio corripiuntur subitaneo morbo. *Gobat.* l. c. t. 8. n. 862. et seq.

Tertio, ad quaestionem, an Regulares praesidentes Seminariis, vel Collegiis studentium erectis possint ministrare sacrum viaticum, et extremam unctionem convictoribus suis vel alumnis, ac famulis laicis ibidem inservientibus; respondet *Cleric.* l. 1. n. 27. cum *Lugone* in responsis moral. l. 4. dub. 33. *affirmative*, si regulares vel ipsi erexerint ejusmodi Seminarium, vel erectum tanquam domini possideant: quia tunc ipsi Regulares sunt domini domus illius, studentes autem sunt eorum commensales, et hospites: potissimum id desumitur ex privilegiis eorum, quae l. c. enumerat *Lugo*. Secus si alicubi in tali Seminario ipsi Regulares sint convectores simplices, et famulantes convictoribus.

913. Q. II. In quo casu necessitatis Regulares licite possint extremum inungere quoscumque graviter decumbentes? R. Talis necessitas censetur, si parochus sit absens, vel irrationabiliter recuset ungere infirmum parochianum suum. *Ratio* est, quia praesumitur in tali casu tacita licentia summi Pontificis, et Episcopi; eorum enim mens est, ut fideles non defraudentur mediis ad eorum salutem institutis a Christo. Addit *Clericatus* l. c. n. 28.: Quando agitur de aliquo opere licite faciendo, ad quod non est necessaria jurisdictio, sufficit praesumptus consensus Superiorum: atqui tale opus est administratio extr. unctionis: ergo.

914. Q. III. Quid ex parte ministri requiratur, ut digne administret extr. unctionem? R. Quae requirantur ad *valide* administrandum hoc Sacramentum, dictum est n. 896. scil. ut sit Sacerdos, et habeat debitam intentionem. Ut *licite* ministret, duplex dispositio ex parte ministri requiratur, 1. *Interna*, ut sit in statu gratiae; gravissima enim foret indecentia, si Sacerdos inimicus Dei in statu peccati mortalis ministret Sacramentum, quo Dei vices gerens alios sanctificaret. Ideoque si ministraturus hoc Sacramentum advertat se esse in statu peccati gravis, debet vel prius con-

ferri, vel elicere actum contritionis, ne novo peccato se coinquinat indigne administrando. *Gobat* in Exper. T. 1. n. 55. Praeterea talis Sacerdos debet esse liber ab excommunicatione, suspensione, et interdicto Ecclesiastico. 2. Dispositio *externa* exigit, ut sit indutus superpelliceo et stola, et priusquam incipiat inungere aegrotum, recitet orationes in Rituali praescriptas. Recitatio psalmorum poenitentialium non est de praecepto, sed consilio: aliae vero orationes nempe *Adjutorium nostrum* etc. *Introeat, Domine Jesu Christe* etc., *Confiteor* etc., *Misereatur* etc. usque ad primam unctionem absque gravi culpa non licet praetermittere, nisi evidenter infirmi vita per momenta deficeret, et tempus non sufficeret ad illas recitandas. Ita *Clericatus* decis. 74. n. 20. cum *Gobat, Tamb.* et *Quintanad.*

915. Circa locum administrationis praecipit Rit. Rom.: *Sacerdos hoc Sacramentum ministraturus, quatenus fieri poterit, parari curet apud infirmum mensam mappa candida coopertam, itemque vas, in quo sit bombacium, seu quid simile in septem globulos distinctum ad abstergendas partes inunctas, medullam panis ad detergendos digitos (in aliquibus locis loco panis, et cum pane apponitur sal) et aquam ad abluendas Sacerdotis manus; ceream item candelam, quae deinde accensa ipsi ungenti lumen praebet: denique operam dabit, ut quanta poterit munditia ac nitore hoc Sacramentum ministretur.* His addenda aqua benedicta cum aspersorio ad benedicendum cubiculum et infirmum, et imago Crucifixi. Bombacium cum pane post usum debet comburi.

CASUS III. De subjecto extremae unctionis.

Neanias Parochus vocatur ad infirmum, qui a tribus annis in amentia fuit, postea vocatur ad alium aegrotum, quem scit notitia privata paulo ante peccatum mortale commisisse; utrique negat extremam unctionem, eo quod ille sit amens, hic vero in peccato mortali constitutus.

916. Q. I. An Neanias recte negarit utrique infirmo extremam unctionem? R. Male egit in utroque casu: in primo quidem male, quia infirmus non fuit perpetuo amens, sed inter reliquos parochianos suos ante amentiam christiane vixit, ut supponitur, et sufficientem usum rationis habuit, ut potuerit bene vel male agere: ergo si in peccatis sit, indiget hoc medio, cujus est capax. Ideoque *Laym.* l. 5. t. 8. c. 4. n. 3. sequentem tradit regulam: *Tametsi deceat, idque curandum sit, ut infirmus ungetur, dum rationis capax est, (sic enim majore cum reverentia suscipiet) ... attamen negari non debet morituris, si vel paulo ante in phrenesim inciderunt, vel etiam diuturno tempore usu rationis privati extiterunt, modo prius, quam in talem amentiae statum pervenerint, Sacramentum hoc saltem interpretative desiderarint, nimirum christiane vixerint, atque salutis suae memores fuerint, quod quidem praesumendum, nisi contrarium appareat.*

917. Ad resolutionem secundi valet regula ejusdem *Laym.* l. c. ubi ita habet: *Si peccatum, vel etiam annexa excommunicatio occulta sit, ordinarie ministrari debent moribundo Sacramenta Eucharistiae et extr. unctionis, praemissa ad cautelam absolute a censuris. Ratio est, quia phreneticus ex hac vita discessurus ordinarie ita se habet, ac si publice Sacramenta exeuntium peteret; peccatori autem occulto publice petenti Sacramenta ministrari debent; scil. ne ex denegatione talis diffametur. Ibid. addit: Si tamen negatio Sacramenti, et causa negandi, scil. peccatum antecedens, occulta manerent, tunc teneri Sacerdotem ab administratione extremae unctionis abstinere. Denique ait, si vero notorium sit, infirmum ante amentiam mortaliter peccasse, vel in excommunicatione fuisse, tunc Sacramenti ministrationem non mereri, nisi aliquibus conjecturis, vel*

saltem unius hominis testimonio probetur absolutum fuisse, vel poenitentiae, aut alia pietatis signa edidisse. Pro contraria sententia citat *Clericatus* decis. 80. n. 6. graves AA., qui probabile esse censent, posse notorio ejusmodi peccatori in tali articulo constituto absolutionem sacramentalem sub conditione, *si capax es*, ministrari, et postea extremam unctionem, eo quod pie sit credendum, quod etiam pessimus peccator, sentiens se vicinum morti, conetur actus saltem attritionis in corde elicere, ut salvetur.

918. Q. II. An puerperis, senibus, pueris et aliis in quovis periculo mortis constitutis possit ministrari hoc Sacramentum? R. *Ad* 1. Commune periculum ex partu non est sufficiens ratio sacrae hujus unctionis; ungenta tamen est puerpera, quando foetus est extrahendus violenter, vel si proxima est partui, in quo ejus mors ob specialis morbi concurrentis circumstantiam timetur. Hanc regulam ex *Quintanad.* tradit *Gobat.* t. 8. n. 845., ubi approbat factum cujusdam Cooperatoris, qui puerperae jam triduo conflictanti cum parturitione, et ex testimonio obstetricum in extremo discrimine ob diuturnos partus dolores constitutae data absolutione ministravit extremam unctionem.

919. R. *Ad* 2. Senibus, qui notabiliter deficiunt, et in mortis periculo etiam ob senectutem solam constituti prudenter judicantur, non est negandum hoc Sacramentum, quia senectus ipsa est morbus.

920. R. *Ad* 3. Pueris sufficientem usum rationis habentibus ad peccandum, non esse negandam extr. unctionem, affirmat *Babenst.* t. 9. p. 6. d. 7. a. 3. n. 4. cum *Laym.* et *Palao.* Ratio est, quia ut quis capax sit extremae unctionis, sufficit esse capacem Sacramenti poenitentiae; atqui tales pueri sunt poenitentiae capaces: ergo. Nec obstat ratio contraria *Soti*, quod tales pueri non sint capaces viatici, quia inter Sacramenta extr. unctionis et Eucharistiae nulla est ordinis connexio, sicut inter poenitentiam et sacram unctionem, quae est poenitentiae consummativum Sacramentum. Excusat tamen *Laym.* parochos, qui ob consuetudinem receptam in aliquibus dioecesibus, quam Episcopi tolerant, pueris ante 14. annum aetatis extremam unctionem non ministrant, quam consuetudinem valde reprehendit *Zambranus* de extr. unct. dub. 1. num. 8.

921. R. *Ad* 4. Passim omnibus in quovis periculo mortis constitutis non est danda extr. unctio, si periculum non oriatur ex morbo, ideoque non datur periculose navigantibus, aut navigaturis, nec praeliaturis, nec reis ad mortem condemnatis. Duos tamen casus admittit *Gobat* t. 8. n. 847. et 848., in quibus infelices rei a carnifice trucidandi muniri possint hoc Sacramento. 1. Si adveniente die executionis obtruncandus vel suspendendus etc. gravissimo morbo obruatur. 2. Si reus fractis ossibus implexus rotae post illam horrificam confractionem vivat adhuc per plures dies, quia talis ex vulneribus inflictis vere evasit gravissime infirmus. Neque est contra reverentiam Sacramenti, si ministretur in ipso supplicii loco, quia nullus plane locus determinatus est pro hac sacra unctione.

922. *Quid dicendum de more Graecorum*, qui sanos etiam inungunt oleo infirmorum? Respondet *Bened. XIV.* l. 7. de Synodo c. 1. jure ac merito Graecos gravis erroris insimulari, si ungento sanos hoc sancto oleo hujusmodi Sacramentum conficere contendunt: ac monet Episcopos, ut severe interdican, ne Graeci, si qui sint in eorum dioecesibus, eam unctionem loco satisfactionis per Confessarios imponendae poenitentibus injungant. Alii respondent, Graecos non adhibere illam unctionem tanquam Sacramentum, sed tanquam quid sacramentale.

923. Q. III. Quandonam hoc Sacramentum conferendum sit infirmis?

R. Nec statim, dum infirmatur, et necdum est periculum mortis, alias invalide confertur; nec nimis sero, expectando donec aeger jam omnibus sensibus destitutus sit, quia tunc sicut minori vel nulla devotione, sic etiam cum minore fructu suscipitur; praeterea per morosam expectationem, quae plerumque fit ex respectu humano, aeger periculo exponitur, ne decedat absque salutari hoc medio, ut patet ab experientia. Itaque tunc est conferendum, quando prudenter judicatur adesse periculum mortis. *Catechismus Romanus* de extr. unct. c. 9. ita habet: *In quo tamen gravissime peccant, qui illud tempus aegroti ungenti observare solent, cum jam omnis salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat.* Utrumque errorem, scil. nimiae accelerationis, et nimiae tarditatis in collatione hujus Sacramenti erudite exponit *Cleric.* decis. 47. a n. 30. et seq.

924. Q. IV. Quinam errores ex animis rudiorum hominum evellendi sint circa Sacramentum extr. unct.? R. *Primus* error est, quo rudes credunt, actum esse de vita illius, qui sit sancto oleo hujus Sacramenti inunctus, ac solum ei superesse sepulchrum. Credant potius (ut recte ait *Bellarm.* L. c. de arte bene moriendi c. 8.) causam esse, quod multi non convalescant, quia tam sero hoc Sacramentum expetunt, quando sine manifesto miraculo restitui non possunt. *Secundus* error est, quod extreme inunctus condere non possit testamentum: vanitas ac falsitas hujus erroris ex se patescit. Siqui condere non potuerint testamentum, id non contigit ratione datae sacrae unctionis, sed quia rem distulerunt usque ad extremum fere halitum: vel quia vis morbi subito hominem reddidit incapacem faciendae dispositionis. *Tertius* error est, quod credant, si extreme inunctus forte convalescat, non possit incedere nudis pedibus, non saltare etc. Ecce hi superstitiosi non credunt, quod inunctus etiam non possit aliquid attingere nudis manibus, oculos aperire etc. quin peccet?

925. Q. V. An graviter peccet, qui hoc Sacramentum negligit suscipere, dum commode potest? Respondet *Clericatus* decis. 81. n. 15. cum *Salmant.*, *Mastrio*, *Jvenin*, receptissimam esse Summistarum sententiam, hujus Sacramenti susceptionem *per se* non cadere sub gravi obligatione et praecepto, sed esse tantum de consilio. Ratio est, quia 1. plurimis non constat de hoc praecepto. 2. Quia hoc Sacramentum non est necessarium ad salutem, sed utile et ad melius esse. 3. Quia juxta c. *Quod in te* de poenit. et remiss. prohibita est ministratio hujus Sacramenti tempore interdicti; certum autem est, quod Ecclesia nunquam prohibeat ea, quae homini sunt necessaria ad salutem. Dixi, *per se*, quia *primo* ille peccat mortaliter, qui omittit hoc Sacramentum ex contemptu, illud nihili faciens, aut reputans esse quid puerile aut parum decens, de quo *Trid.* sess. 14. de extr. unct. c. 3. ait: *Nec vero tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere, et ipsius Spiritus S. injuria esse posset.* *Secundo*, peccat graviter, si ex omissione daret scandalum, vel movendo suspicionem, quod non credat, hoc esse Sacramentum, vel movendo adstantes suo malo exemplo ad idem parvi faciendum. *Tertio*, si infirmus esset in mortali, quod confiteri non posset, et non esset certus, se habere veram contritionem; quia sic voluntarie respueret medium salutis, quo ex attrito fieri posset contritus. Contrarium affirmat *Joan. Wieggers* in 3. p. q. 32. n. 9. dicens, infirmum *per se* loquendo graviter peccare non suscipiendo hoc Sacramentum, sicut Sacerdos peccat graviter eum non inungendo. *Ludov. Habert* tom. 6. de extr. unct. c. 7. affirmat, Sacramentum unctionis esse necessarium necessitate praecepti divini et ecclesiastici, eo quod verbum *Inducat* in textu s. Jacobi aequè praeceptum sonet, ac ista: *Con-*